

DISPUTATIO THEOLOGICA
 Pro IV. Art. Libri Concordiæ
 DE
BONIS OPERIBUS
 Eorundemq; Necessitate,

Quam

DEO Opt. Max. Benedicente

PRESIDE

GEORGIO C. ALANO

In Regiâ Academiâ Aboënsi S. Theologie
 Professore Ordinario.

Publicè proponit

JOHANNES H. LILIUS
 LANGEMÄFLANDUS,

*Ad diem 14. Martij Anni 1651. horis Matutinis
 convetus in auditorio Majori:*

A B O E,

Encauebat Petrus Wulff Acad. Typis: 1651.



S.R.º M. tis Svecia Servitorū fidelissimo, beneq; constituto
copia equestris in Finlandia vexillifero fortissimo.

Nobilissimo Ego verst enso VIRO

DN. ERICO MAR: Sciernkore/

Hæreditario de Hesma &c. Patrono suo ut propensissi-
mo, ita quovis honoris cultu jugiter observando.

U T E T

Reverendus, Humanissimus, Spectatissimus etq; Doctissimus Viris

DN. JOSEPHO MATTHÆI

Præp. & Pastor in Raagafjord gravillimo, meternati & promo-
tori suo pluriūnum suspiciendo.

DN. SEVERINO M. BIRKALMANNO

Past. in Viessylja dignissimo, Evergete & benefactori suo
atatem colendo.

DN. ABRAMO JACOBI

Pastori in
Italiis fidelissimo, avunculo suo omni animi observantia des-
venerando, amando.

DN. HENRICO JACOBI

Juridico in
Tesswassia & Nylandia æquissime, avunculo suo itidem admo-
dum colendo.

DN. JOHANNI MATTHÆI

Symmystæ in
Kardæ periteli, fautori & benefactori suo honorando.

*Hanc disputationem Theologicam in grati animi pro
beneficj i. se collatis indicium reverenter
Gofficie*

Dicit, Dedicat, offert

JOHANNES H. LILIU
Reipondens,

oooooooooooooooooooo

oooooooooooooooooooo

D. O. M. A.

DISP. Pro IV. ART. LIBRI CONCORDIAZ.
De

BONIS OPERIBUS
Thef. I.

Doctrinæ de Justitia fidei convenienti ordine
iubjungit Liber Concordiæ articulum De Bonis O-
peribus. Quamvis enim fidei ne operibus Justificemus
ac proinde à foro Justificationis bona opera penitus sint
removenda & excludenda; Tamen cum impossibile sit
ut quis veram & vivam fidem habeat, & impie vivat, ideo
recte in nostris Ecclesijs docetur, Deum justificatis & reua-
tis nullam dare licentiam pravij indulgendi cupiditatibus:
Non enim ueritatem nos Deus ad impietatem sed auferat.
uem I. Teis: 4 v. 7. Sed exigere à nobis fructus bonorum
operum. Nam Christus accepit ipsum pro nobis, ut redi-
uerteret nos ab omni iniqitate, & purificaret sibi ipsi populum
peculiarem, Zyl. 12: 13, hoc est, qui peculati Zele sui pectora ho-
norum operum, Tit. 2. v. 14.

I. Calumnia Ergo est gravissima & impudentissimā
quā nostras Ecclesijs pontificij criminantur, quasi nos
bonorum operum studium damnamus, nobisq; in nostra
illa fidei Justitia ita blandiamur ut existimemus nos ab ob-
servatione mandatorum Dei Liberos esse, atq; sic fene-
stram improbis ad omnis generis flagitia & nequitiam

impunitè patrandam aperiamus. Cui in iustæ erminatione,
authores Libri Concordie, per orthodoxam hujus articu-
li Explicationem occurrere voluerunt.

III. Intulerunt præterea Libri concordie authori-
bus necessitatem, suam de hoc articulo edendi confessio-
nem. Erroneæ & periculose phrases non nullorum Theo-
logorum. Augustinæ confessioni alioquin addictissimo-
rum, qui cum impendentium periculorum metu fracti
Librum interim. Anno 1548. Augustæ vindelicorum
Excusum, mollius tractarent, à forma sanorum verborū
periculofissime declinarunt, asserentes. *Bona opera ejus*
necessaria ad salutem: Impossibile esse, sine bonis operibus salvati-
pis: Et neminem unquam sine bonis operibus salvatum esse. Alij
verò haud minus periculose aberrantes, docuerunt; *Bona*
opera ad salutem esse pernitiosa. Epit. Lib. Concord. p. m.
571. Declarat. p. m. 679.

IV. Nec nulla fuit causa hunc articulum explicati-
di, schisma ab Antinomis partim vivente adhuc Luthe-
ro, partim eo vita functo, motum, qui docuerunt, que-
cunq; tandem sit hominis vita, & quantumvis pura, Iustifica-
ri tamen eum, si modo promissionibus Evangelij credat. Re-
ferente Sleidano Lib. 12. p. m. 337.

V. Hinc à quibusdam disputatum fuit: quod bona
opera non necessaria, sed Libera & spontanea sint, præ-
pterea, quod non metu & comminationibus legis extor-
queantur, sed Spiritu spontaneo & a laeti mente fieri de-
beant. Alii verò asseruerunt: Bona opera esse necella-
ria. Declarat, Lib. Concord. p. 679.

VI. Unde status iste emersit controversia: *An bona*
opera sive nova obedientia in venatis & Iustificari sit necessaria
an vero Libera? Quæ sane controversia licet Initio ex
ambiguitate vocabulorum sit exorta; progressu tamen
tempo-

temporis non jam de verbis, sed de rebus ipsis magna
vehementia, ab Audiomis præteritum, sicut desceptatum
illi enim acriter contendebant: Novam obedientiam in
renatis non esse necessariam, quemadmodum ex articulo
sexti Lib. Concordiae Luculentius innotescet & de-
monstrabitur.

VII. Cum igitur ex dictis Constat, ipsam necessitatē
flagitare, ut de *Bonorum operū necessitate* veritatem
doctrinæ Cœlestis tueamur, & calumnias ab Ecclesijs no-
stris pro virili propulsione, id adjuvante Domini Spi-
tu tribus capitibus expeditum dabimus, acturi, i. de hac
questione, *An bona opera sint necessaria: an vero
Libera?* 2. *propter quas causas necessaria sint bona
opera?* 3. *An phrases ille in Ecclesia sint tolerande;*
Bona opera sunt necessaria ad salutem; Bona opera
sunt pernicioſe ad salutem,?

VIII. In prima questione, ne à Janua aberremus,
termini prius exponendi sunt: quæ hic bona opera; Et
qualem necessitatem intelligamus: postea quaſtioneam
ipsam, scripture ducere, decidemus:

IX. Quæ sint verè bona & Deo placentia opera nō
ex humano arbitrio definiendum, nec quod nobis ſanc-
timonia & bona intentionis specie specioſum videtur, ita-
cum est bonum opus, sed quid Deo in verbo tuo gratum
& acceptum sit, diligenter dispiendum. Juxta illud Aſ-
postoli: probato, quæ ſi voluntas illa Dei & bona, & beneplac-
tans & perfecta, Rom. 12, v. 2,

X. Describuntur autem in verbo patefacto, opera
verè bona, ſecundum omnes causas i. Ratione cauſa effici-
ens, oportet bona opera fieri à renatis, quatenus ſpiritu
Dei aguntur, ad bene operandum impelluntur & viribus
neceſ-

necessariis instruuntur. Nam qui spiritu Dei aguntur, hi
sunt filii Dei. Rom. 8. 14. Inde etiam bona opera dicun-
tur fructus spiritus Gal. 5. v. 22. is. est. qui in renatis hos frus-
tus, incorruptibile & coeleste illud iemen verbi divini
foveando, excitat. Luc. 8. v. 35. I pet. 1. v. 23. Jac. 1. v. 18.
Adeo ut quod lex operum minando impedit, hoc lex fidei creden-
ti impetrat. *Lege operum dicit Deus, fac quod lubes; Lege*
fidei dicitur Deus, da quod lubes. August. de sp. r. Eclit.
• 13.

XI. 2. Ratione causa materialis (licet materiam pro-
priè sic dictam non habeant) Oportet esse opera à Deo
mandata in lego, quæ bonorum operum norma est per-
fectissima. Ideo enim Deus Legem doceri voluit in Ec-
clesia, ut haberemus sufficientissimum thesaurum carum
rerum, quibus Deus colitur. Et ea demum opera **verè**
bona sunt, non quæ quisq; bona intentione ipse met ex-
cogitat, aut quæ secundum humanas traditiones fiuntur
Sed ea quæ Deus ipse in verbo suo præscripsit atq; præ-
pit, Lib. concord p.m. 689. Nimirur hæc assertio eve-
dentiissimis Sacrarum Literarum testimonij^s. Non
faciat unquam quod in oculis suis rectum videtur;
Sed unquam rem, quam ego præcipio vobis, eam
observantes facite: ne addito ei, neq; detrahito ex ea
Deut: 12. v. 8, & 32. In statutis patrum vestrorum
ne ambuletis, Et jura illorum ne observetis: In statu-
is meis ambulate, Et jura mea obserbate, ac facite eas,
Ezech. 20. v. 18. & 19. Frustra me colunt, docentes
solirinas, quæ sunt præcepta hominum, Matt. 15. v. 9
confer: Num. 15. v. 39: & 40. Deut: 4. v. 2. Eph: 2: v. 10:
XII. 3. Ratione causa Formalis, oportet opera **verè** bo-

na ex fide profecta esse. Fides enim est forma bonorum operum, quae facit ut placeant Deo. Nam *Deo sine fiducia placere impossibile est*, Hebr. 11, v. 6. & *quicquid non est ex fide de peccatum est*, Rom. 14. v. 23. Hac quoque facit, ut prompte & cum delectatione hant ex charitate & corde novo. Idecirco *summa mandati vocatur Charitas ex munere cordis & conscientia bona*. Et fide minime simulata, 1. Tim. 1, v. 5.

XIII. Cum enim renatorum quoque opera sint imperfecta & immunda: Ideo ut Deo placeant, necesse est, id est in Christum accedere, propter quem fide apprehensum non solum persona, sed etiam bona opera renatorum Deo placent, & inde est, quod fides dicatur forma bonorum operum in renatis. Est quidem forma bonorum operum ab solute consideratorum, exactissima cum lege Dei conformitas, Sanctitati & Justitia divina. Extrahit respondens: Sed cum illa ne quidem in terra nostra operibus inveniatur, Deo placent illorum opera propter Christum per fidem. L. C. p. 680.

XIV. Hoc ergo volumus, quando fidem bonorum operum formam esse dicimus, quod Christus Medicus vera fide apprehensus & hominem, & opera eius Deus accepit reddat, ut propter Christum non solum persona Deo fide reconciliatur, sed etiam opera credentis Deo placeant: Et quod fide in Christum detur remissio peccatorum non solum praecedentium, sed etiam infirmatum adharentium, quae ipsa bona opera contaminant.

XV. Nequaquam vero hoc sensu intelligendum est, fidem esse bonorum operum formam, quasi Christi iustitia & satisfactio ita imputatur operibus, ut per nostra illa opera in Dei Judicio iustificemur: Cum enim ipsi (et cum D. Lutherio loquamus) iustificari indigamus, quis nos

*Iustificare non poterunt. Placent Deo senatotum opera,
sed non placent Deum.*

XVI. *Ratione cause finali sunt bona opera, non proprij commodi aut glorioſe causæ, sed ad gloriam Dei & Ecclesiæ proximiq; commodum. Juxta illud: *Omnia ad gloriam Dei facite; Etenim quod faci est querat, sed quod alterius quicq; I. cor. 10. v. 24. & 31. confer Matt. 5. v. 16 phil. 1. v. 11. c 2. v. 4. 1 pet. 2. v. 12 cap. 4. v. 11. Tit. 3. v. 14.**

XVII. *Unde liquet præclaræ bonorum operum nomine, non tenire opera gentilium: Quæ libet quoad substantiam facti bona sint, suam coram mundo dignitatem & Laudem habeant; Et temporalibus quibusdam præmiis in hoc mundo ornentur: attamen cum non ex vera fide proficiantur, revera eoram Deo sunt peccata, & à Deo pro peccatis & immunditia reputantur propter naturæ humanae corruptionem, & quia persona cum Deo non est reconciliata. Mala enim arbor non potest fructus bonus ferre; Matt: 7; v. 18; Es quisquid non est ex sole peccatum est, Rom. 14; Peculiar L. C p. 681 Neq; enim persona Deo placet, neq; sunt ad normam Legis divinae, neq; ex fide neq; ad fines Legitimos. Ad bonum autem opus non sufficit, ut aliquid boni fiat, sed requiritur iniuper ut bene fiat.*

XVIII. *Liquet etiam inde opera pharisaicæ non esse veræ bona opera, quales sunt iudeorum ex fido Christi reieci sunt Matt. 15. v. 9. quarum papatus Ronatus pœnus est. Deficiunt enim ibi omnes causa. Etiam si persona renata sit, non tamen agit ea ex instinctu Spiritus Sancti; Sed proprio motu, quam intentionem bonam vocant; Non agit juxta præscriptum verbi divini. quo tamen se edere in cultu divino merito nobis religio esse debet, non agit ex fide; fides cuim ne Latum quicquam impingit*

à verbo discedit: Non agit ob finem à Deo ordinatum,
sed ex operibus istis facit meritum in verbo Dei damnatum.

XIX. *Sunt Ergo bona opera, ut verborum compendio utar, quæ a renatie sunt ex fide, Spiritu Sancto moveante & renovante voluntatem hominis, iusta mandatum Dei in Decalogo prescriptum, ad gloriam Dei proximiq; utilitatem.*

XX. Porro si Scripturam Sacram de vocabulo necessitatis consulamus, quantum quidem ad nostrum institutum sufficere videtur, haud inutilis est Magni Theologi D. Cheminii; part. 3 L.C. De bonis operibus quæst. 4. p. m. 20. observatio, qua monet scripturam vocabulo necessitatis quartor potissimum modis uti.

XXI. I. pro eo quod tanquam ad iustitiam & salutem necessarium exigitur. Hoc sensu Act. 15. v. 5. Illi, qui erant de secta phariseorum, urgebant necessitatem observationis Legis. Et Gal. 2. v. 3 & 4. c. 6. v. 12. psuedo Apoistoli urgebant necessitatem circumcisionis inter gentes.

XXII. II. Vocabulum necessitatis in quibusdam Scripturæ Locis significat vel coactionem, vel involuntarium aliquid quando vel ab invitis, vel ab involuntariis preter animi sententiam aliquid externi operis extorquetur. 2. cor: 9. v. 7. *Unusquisq; (beneficiat) prout definiunt in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate.* Ubi recte coniunguntur tristitia & necessitas. Violentum enim necessarium dicitur, quare etiam triste. Epist. ad philem v. 14. *Sed absq; tua sententia nihil velui facere, ut ne velut ex necessitate bonus tuum esset.*

XXIII. III. pro eo utitur Sra. vocabulo necessitas

nis quod non est adiaphoron seu arbitrarium, sed debitū
ratione mandati & voluntatis divinæ. Act. 13. v. 46.
Necessarium erat iudeis primum loqui verbum Dei. c. 15, v.
28. *visum est Spiritui Sancto & nobis, ne quid amplius imponere-
tur vobis oneris, quam hec necessaria.* Rom. 13:v. 5. *necessita-
te subditi estote.* Sic Paulo necessitas Evangelisandi incu-
buit. Ad hoc enim vocatus erat. 1. cor. 9. v. 16.

XXIV. **IV.** Generaliter pro necessitate consequen-
tiæ, quam vocant Immutabilitatis; Estq; earum rerum,
quæ natura suâ quidem liberæ sunt & contingentes, sed
ratione coherentis alicujus antecedentis, uecessariò se-
qvuntur, quemadmodum mors & morbi necessariò se-
qvuntur peccatum. Sic hæreses ac scandalia necessa-
riò sequuntur malitiam Sathanæ & corruptionem homi-
num, 1. cor. 11. v. 19. Matt. 18. v. 7. Sic translate sacerdo-
tio, *necessæ est, ut legis quoq; translatio fiat.* Hebr. 7.v.12. Item
pro eo, quod certas & graves causas habet cur non sit o-
mittendum, sed faciendum, quemadmodum Paulus *ne-
cessarium putavit longiore frui viæ usura, propter Ecclesiastem*
Phil. 1. v. 24. & c. 2. 25. ait Paulus: *necessarium existima-
vi mittere fratrem & collegem ad vos:* Confer Luc. 14. v.
18. Heb. 7. v. 27. Epist. Jud. v. 2.

XXV. Cum igitur Bonorum operum necessitatem
defendimus, nequaquam necessitatis vocabulum primo
& secundo modo intelligimus. Si enim loquamur de
necessitate consequentiæ seu conditioni, asserimus, bona opera
non esse *necessaria* necessitate coactioñis, nec
meriti, nec restitutionis ad salutem; Sed *Liberæ esse*, non
sensu Antinomico, quasi in hominis renati arbitrio reli-
ctum sit bene aut male agere, quando ipsi visum fuerit:
Ut nihilominus tamen fidem retineat, etiamsi in peccatis

ex proposito perseveret: verum quatenus hominis spiritus liberatus bene operatur, non formidine poenae, ut servus: Sed justitiae amore: Qualem obedientiam filij præstare solent, Epitom. Lib. Concord. p. m. 573.

XXVI. Opponitur hæc renatorum Libertas servili necessitatibus & coactioni. Nam 1. talem Necesitatem Scriptura Expressè rejeicit, quando de bonis operibus agit, 2. cor. 6. v. 7. Non ex tristitia aut necessitate; hilarem enim datorem diligit Deus. 2. Quia Deus à renatis non coactum, sed spontaneum cultum requirit. Populi sui oblationes voluntarie, psal. 110. v. 3. 3. Quia sunt Spiritus Sancti opera. Ubi autem est Spiritus Domini, ibi Libertas, 2. cor. 3. 17. Rom. 8. v. 15. Non enim accepisti spiritum servitutis iterum ad timorem, sed accepisti spiritum adoptionis, in quo clamamus Abba pater. 4. quia cum gudio ac delectatione fiunt. Condelector Legi Dei secundum interiorum hominem, Rom. 7. v. 22, confer Syp. sac. 35. v. 9, &c. 10.

XXVII. Deinde si de necessitate consequentia ordinis, conscientiae, mandati & debiti loquamur, Dicimus bona opera esse non libera, sed necessaria. Vult enim mandatum Dei, ut creatura suo creatori obediatur. Sumus enim debitores, non carni, ut secundum carnem vivamus, sed spiritui. Rom. 8. v. 12. Sequuntur bona opera ad mandatum Dei, Ezech 20. v. 19. Joh 13. v. 34. sequuntur ad Electionem, Eph. 1. v. 4. Sequuntur ad regenerationem, Eph. 4. v. 22. Sequuntur ad vocationem nostram, 1. Thessl. 4. v. 7. Sunt Ergo necessaria bona opera, hoc est debita, quia divinitus mandata, electis. Justificatis, vocatis & sanctificatis digna; nec Liberum est ren-

tis & arbitrarium, an velint Deo in bonis operibus servire
nec ne? Ut mox fusius ostendemus?

XXVIII. Utitur enim Scriptura ipsa non solum aequi-
pollentibus vocabulis, sed ipso etiam necessitatibus termino
in hac quaestione. Hec oportuit facere, & ita non omittere,
Matt. 23. v. 23. Necessitate subditi estote, Rom. 13. v. 5. I.
cor. 9. Necessitas enim mihi incumbit. Vacante mibi est
nisi Evangelizem, Confer Act. 15. v. 28. Act. 5. v. 29. I.
Tim. 3. 2. 1. Joh. 4. v. 11.

XXIX. Porro negare quod bona opera sint necessaria,
furoribus Antinomorum, Libertinorum, Eunomia-
norum, adeoque: quorumcumque egyptiis oris fomenta pra-
bet. Necessarium enim est, quod non est arbit-
trarium.

XXX. Denique necessitas bonorum operum ideo
urgenda est, ne studium eorum in renatis languescat.
Sunt enim ex parte adhuc carnales Rom. 7. v. 14. pro-
spiciendum igitur sedulo, ne Libertatem Spiritus mutet
in carnis licentiam. Pio & graviter id inculcat Liber
Concordiae his verbis: Haec propositiones (bona opera
esse necessaria; Et necesse esse benè agere) retinenda
atque urgenda sunt ad redarguendam atque refutandam secu-
ritatis Epicureorum opinionem, quam multi fidem mortuam
aut persuationem quandam vanam, quae sine penitentia
& bonis operibus est, pro vera fide falso habent, quasi si i.
licet in uno eodemque corde simul stare possint vera fides
& malum propositum in peccatis perseverandi & progre-
diendi: Quod tamen prorsus est impossibile: Autqua-
si aliquis veram fidem, justitiam & salutem habere ac re-
tinere valeat, etiam si arbor putrida sit maneatque, neque ul-
los bonos fructus ferat: Imo quamvis in peccatis con-
tra conscientiam perseveret, aut rursus de linata malitia

in seclera priora relabatur... Hæc falsa & impia sunt,
p. 682.

XXXI. Quocirca Augustana confessio ejusdemq;
Apologia dilectè utuntur necessitatis vocabulo, atq; ad-
dunt perspicuum declaratiosem, quomodo dicantur os
pera necessaria. Sic enim loquitur confessio, Art. 6,
Docent quod fides, illa èbess bonos fructus parere,
& quod oporteat bona opera, mandata à Deo facere,
propter voluntatem Dei, non ut confidamus per ea o-
pera justificationem coram Deo mereri. Art. 20, do-
cent nostri. quod neceſſe fit bona opera facere, non ut
confidamus per ea gratiam mereri, sed propter vo-
luntatem Dei. Apolog. sub titulo Respons. ad ar-
gument. adverſi Facienda sunt bona opera propter man-
datum Dei, item ad exercendam fidem item propter con-
fessionem & gratiarum actionem propter has causas de-
bent bona opera necessariò fieri.

XXXII. Causas verò propter quas bona opera ne-
cessaria sunt, ut paulo latius ex pendamus & *incertas*
classes redigamus, operæ pretium est. Respiciunt illæ
vel Deum, vel proximum, vel nos ipsos².

XXXIII. In prima classe occurrit 1. *Seria Dei*
voluntas ac mandatū, ut in bonis operibus ambule-
mus. In præceptis meis ambulate & facite eas,
*Ezech. 20, v. 19. Mandatum novum do vobis, ut di-
ligatis vos invicem, Joh. 13, v. 34. Hæc est voluntas*
Dei sanctificatio vestra, ut abstineatis à fornicatione
1. Thess. 4, 3. Sic est voluntas Dei, ut beneficiendo
ob. arcetis os bominibus stultis & ignorantibus: Tan-

quam liberi, & non velut praetextum habentes malitia, libertatem, sed tangunt servi Dei; 1. pet. 2. v. 15. & 16. confer Levit. 11. v. 44. Rom. 8: v. 12. & 13. 8, 12, 13.

XXXIV. Requirit hoc ipsum 2. gloria Dei, quæ in omnibus nostris actionibus promovenda est, juxta exhortationem Christi Matt. 5, v. 17. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificant patrem, qui in celis est. Item 1. pet. 2: v. 12. per impia verò studia blasphematur nomen Dei inter gentes, Ezech. 36. 20. Rom. 2. 24.

XXXV. Requirunt deniq; omnes articuli Symboli Apostolici. Nam ipsius Dei opus sumus, conditi in Christo Iesu ad opera bona, ad Eph. 2. v. 10 Deus est creator & Dominus, immo pater noster, nos ipsius creaturæ; servi & filii; & quoniam igitur est, ut obedientiam ipsi præstemus & gratitudinem declareremus. *Filius honorat patrem suum* & servus Dominum suum; quod si pater sum, ubi est honor meus? Et si Dominus sum, ubi reverentia mea?

Mal. 1. 6.

XXXVI. Opus verò Redemptionis duplice cum primis nomine ad opera bona hortatur, tum quia est insigne & stupendum testimonium dilectionis Dei & Christi, quam dilectione reperire aequissimum. Quo plus & majora beneficia accipiuntur, eo major gratitudo debetur. A Christo sumus proprio sanguine, varijs plagiis & ignominiosissima morte redempti & demandu hostium nostrorum liberati; Serviamus ergo illi in sanctitate & justitia coram ipso omnibus diebus vita nostra, Luc. 1. v. 74. Tum quia de magnitudine ita divina luculentum pre-

bet testimonium. Tanta enim fuit ira divinae vehementiae; ut nulla re alia, quam truculentissima morte filii unigeniti, dilectissimi & innocentissimi placari potuerit. Ergone non reverebimur hanc iram? Num audebitus eam denuo peccatis voluntarijs accendere. Si hoc factum in virenti ligne, in ~~ad~~ quid fiet? *Luc. 23. v. 31.*
*Securis ira divina ad radicem arborum posita est, omnis igitur arbor non ferens fructum bonum, excidetur & in ignem abijatur, *Matt. 3. v. 10.**

XXXVII. *Spiritus Sancti qui nos sanctificavit, fructus sunt bona opera, Eph. 5. v. 9. Gal. 5. 22. si Spiritus vivimus, & spiritus ambulemus v. 25. Ne contristetis Spiritum Sanctum, Eph. 4. 30. Ubi igitur Spiritus Sanctus, ibi flagitia locum non inveniunt. Et ubi peccatum regnat & nulla est lucta adversus pravas cupiditates ibi certum est, non adesse Spiritum Sanctum. Gal. 5. v. 17. *An ignoratis corpus vestrum esse templum Spiritus Sancti, 1. cor. 6. v. 19. Qui hoc templum Dei violat, hunc perdet Deus 1. cor. 3. v. 17.**

XXXVIII. *In Secunda classe occurrit proximus eiusq; commoda, quæ imprimis promovere decet, non affectu saltet. Sed & opere, juxta illud 1. Joh. 3. v. 18. Filioli mei, ne diligamus verbo, neq; lingua solum, sed facto & veritate. Societas humana conservatur mutuis officijs, ad Eph. 4. 16. 2. Ut nostro exemplo alijs ad pietatem invitentur, & bono exemplo ipsi præluceamus Matt. 5. 16. Eiusut absq; verbo per conversationem lucifrant, 1. pet. 3. v. 13. ne cuiquam præbeatamus offendiculum 1. cor. 10. v. 32. 2. cor. 6. v. 3. Vt homini illi, per quem offendiculum evenis, Matt. 18. v. 7. 4: ut beneficiendo os obtinamus.*

semus improbis calumniatoribus L. pet. 3, 15. C.
3, v. 16.

XXXIX. In Tertia classe succedit propria ren-
sorum conditio quæ multifariam requirit ab ipsis studium
bonorum operum. 1. Ut ostendant se veram fidem ha-
bere, Jac. 2, v. 18. Nam fidei indubitatus character & in-
dex est charitas sive nova obedientia. Est enim fides
per charitatem efficax, Gal, 5, v. 6. sine operibus
verò mortua est, sicut corpus sine Spiritu, Jac. 2, v.
26. Et ubi non est detestatio, sed delectatio peccati, ita ut
homo cum delectatione mala opera faciat, ibi nulla est ve-
ra poenitentia. Ut igitur sol per radios semper di-
fundit splendorem: Ita fides viva semper excitat pietatis
ardorem. Qui proinde sunt filii lucis, debent ut filii luo-
cis ambulare, & nullum commercium habere cum ope-
ribus in frugiferis tenebrarum, ad Eph. 5, v. 8: & II.
C. 4, 1. Satagit, inquit petrus ut vocationem & electionem
vestram firmā faciat et pet. 1, v. 10. id est ut fructibus iustitiae
abundantes, & proximum beneficijs ornantes, certi-
mum experimentum habeatis: fidem vestram non esse
fictam & simulatam; & ne vocatione excidatis, si fieri in
peccatis. Ex fructibus enim arbitur cognoscitur,
Matt. 7, 17.

XL. 2. Quia per mala opera fides perditur & ex-
sultatur Ne igitur fides Spiritus Sancti gratia, justitia &
salus amittatur. bonis operibꝫ vacādū & invigilādū est Nā
Qui repellunt bonam conscientiam, neutragium fidei
seculi, I. Tim. 1, v. 19. confer Eph. 4, v. 30. Rom. 8, v. 13

XLI. Hinc sunt illæ tam crebro repeatit in Scriptu-
ra admonitiones ad renatos, ut aigne ambulent Deo & Es-

vangelio Christi, omnis operis boni fructum proferentes, Coll. 1. v. 10. phil. 1. v. 27. Ut Doctrinam servatoris nostri Dei ornent in omnibus, Tit. 2. v. 10. Ut exhibeant membra sua arma Justitiae, Rom. 6. v. 13. Confer. v. 1. ne defraudent fratrem, 1. Thess. 4. v. 6. Ut Expurgent vetus fermentum, 1. cor. 5. v. 7. discedant ab iniustitia omnes, qui nominant nomen Christi, 2. Tim. 2. v. 19. adde Luc. 21. 34.

XLII. 3. Facienda illis sunt bona opera, ut Angelos bonos semper comites habeant, qui gaudent pietate & probitate ac repelluntur iniuriae. Psal. 34. v. 8. Luc. 15. v. 10. Hebr. 1. v. 14. Ne igitur offendamus & propellamus Sanctos hos vigilis, pie & sancte vivendum est unde in ipsis Diaboli casis & retia incidamus, 1. pet. 5. v. 8. 2. Tim. 2. v. 26. & ne impurus Spiritus semel expulsus, assumpsit alios sepiem improboribus Spiritibus revertatur, commodam habitationem inveniens; *fatu*
ultima Conditio illius hominis deterior priore; Luc. 11. v. 26.

XLII. 4. Studendum bonis operibus, ut viitem poenas temporales & eternas malis operibus constitutas. *Si secundum Carnem vixerit, morienti;* Rom. 8. v. 13. *Nolite errare, nec fornicari, nec idololatria, nec adulteri.* Et regnum Dei possidabunt, 1. cor. 6. v. 9. & 10. propter haec (fornicationem, luxuriam, libidinem, pravam cupiditatem & avaritiam) *venit ira Dei super coniugaces,* col. 3. 6.

XLIV. 5. Deniq; ut corporalia & spiritualia preemia à Deo reportemus & consequamur. *Dicite Iusti benè*

benè esse, nam fructu actionum suarum fruitur est.
Esa. 3. v. 11. pietas ad omnia utilis est, habens pro-
missiones præsentis & futurae vite, 1. Tim. 4. v. 8.
Ex his promissionibus, quarum plena est Scriptura, in-
telligitur, quam grata Deo sint renatorum qualiacunq;
bona opera. confer. Gal. 6. 9. Matt. 5. 12. 2. Tim. 4.
8. Sap. 5. v. 16, 17.

XLV. Ex his facile apparet, bona opera non uno
modo esse necessaria. Siquidem occurrit hic 1. *Neces-
sitas mandati*, quia in Decalogo exigit Deus bonorum o-
perum studium. 2. *Necessitas debiti* ex priori orta, quia
Deo creatori, redemptori & Sanctificatori nostro debe-
mus hoc filiale obsequium: proximo etiam debemus
omnia humanitatis studia & dilectionis officia. 3. *Neces-
sas ordinis*, quia perpetuas manet Justitiae ordo, ut creatu-
ra rationalis creatori obediatur. 4. *Necessitas consequen-
tia & hypotheses*, quia fidem bona opera perpetuo sequitur & comitantur: & nisi velimus fidem excutere, gra-
tiam Dei & æternam vitam amittere, poenas omnis
generis accersere, vacandum est bonorum operum stu-
dijs, ut jam satis copiose ostendimus.

XLVI. Patet igitur immerito nos traduci à Ponti-
ficijs, quando non dubitan pro sua impudentia vete-
rum hæreticorum blasphemias de *adtraçoria*, quin & de
prohibitione bonorum operum nostris ecclesijs
imputare. Nam dorentius, bona opera esse summe
necessaria, nec renatis indifferens esse ac liberum agere
quicquid velint; Sed ad præstanta bona opera multis
nominibus obligatos esse: *Possentamen dici Liberi*, quia ex
libertate Spiritus, non coacte, sed prompte & volunta-

sc̄e, quin & magna eura voluptate & gaudio à renatiō
sunt.

XLVII. Transitum jam facimus ad tertium; se
c̄e ultimum membrum disputationis nostræ, ubi
primo quæritur: *An phrajes illæ: Bona opera sunt
necessaria ad salutem: impossibile est salvari sine bonis
operibus: Et neminem unquam sine bonis operibus
salvatum esse; sint in Ecclesia tolerandas?*

XLVIII. Phrases & propositiones has ex una par-
te pontifici, propter merita opere urgent: Ex altera
parte fuerunt tum nonnulli ex Augustanæ confessionis
Theologis; tum quidam ex Calvinianis, qui phrases istas
in Ecclesia retinendas esse statuerunt, non quidem qua-
si bona opera sint merita & causa efficiens salutis, sed
quod ad salutem propter fidem retinendam & conser-
vandam, sint necessaria Beza docet, bona opera ad salu-
tem necessaria esse, ut quiddam cum fide necessariò con-
iunctum. Zanchius, l. 5. de Nat. Dei c. 2. Statuit ea es-
se necessaria ad salutem, ut causam salutis sine qua non,
vel instrumentalem. Praxis & Medulla catechet. Mar-
purg. edita Anno Christi 1606. Quæst. 67. afferit, si-
dem sufficere ad apprehendendam salutem, non autem
ad eam conservandam, sed amplius requiri vitæ emen-
dationem. Et Quæst. 70. ait: Vitæ emendatione per-
ficitur conversio, ac fides & salus in nobis conservatur..
Docet quoq; concil. Trident. Sess. 6. can. 24. acceptam
Justitiam sive salutem per bona opera conservari.

XLIX. Nos verò cum Libro Concordiæ dictimus,
has propositiones esse reiiciendas nec in Ecclesia Dei to-
lerandas. Et quidem i. abstinendum est ab istis phrasib-
us, quia in p̄fendo. ipsi soli sunt damnata. Docuerunt

illi ut videre est, Act. 15, v. 1. & 5. *Nisi circumcidamini ritus
Mosis & legem servetis, non potestis salvati.* Quæ verba pla-
ne æquipollent illi propositioni, impossibile est quæ-
quam sine legis observatione, seu quod idem est, sine bo-
nis operibus salvati. At hæc sententia pleno concilio
Apostolorum repudiata fuit, Act. 15, v. 10, 8 II. It
poterat ab Apostolo Paulo scorsim damnata:
Si circumcidamini Christus vobis nihil proferit. Ad
Gal. 5, v. 2.

L. Deinde D. Paulus rejectit hanc phrasim; nemo ulla
quam sine bonis operibus salvatus est, quoties docuit
hominem justificari & salvare gratia, fide, sine ope-
ribus, sine Lege; Bea uitudinem siue salutem esse illius
hominis, cui Deus imputat Justitiam ab aliis operibus; gra-
tia nos salvati per fidem, non ex operibus, ne glo-
rietur, Rom. 3, v. 24, 28. c. 4. v. 6. Gal. 2, v. 16.
Eph. 2, v. 8. & 9. sed autem pronuntiatis opposita est
hæc propositio: Bona opera sunt necessaria ad salutem,
adeo ut impossibile sit beatitudinem esse aliquas homi-
nis sine operibus. Unde sic concludimus: *Sine quo
effectus produci potest, id ad producendum effectum non
est necessarium.* At sine operibus Justitiam & sala-
tem consequimur. Ergo opera non sunt vel ad Justitiam
vel ad salutem necessaria.

LI. Præterea pugnat hæc phrasis cum principio discri-
mine Legis & Evangelij, & Legem cum Evangelio confun-
dit. Justificamur & salvamur non ex Legi, sed ex Evangeli-
gio. Gal. 3, v. 11, 21-22. c. 2, 21. c. 5, 4: At Evangelium
offert credentibus in Christum Justitiam & salutem gra-
tis sine conditione, hoc est operum; Rom. 4, v. 5. & 6
quod

Quod si verò bona opera sunt ad salutem necessaria, præmissiones Evangelij non amplius erunt gratuitæ, sed conditionales, qua ratione lex & Evangelium confunduntur.

LIL. Porrò pugnat hæc phrasis *Cum promissione eterna hereditas*: Ea enim merè est gratuita, ita ut D. Paulus affirmaret non debitet promissio nem hanc incertam ricasu, si quod modo penderet talos & justitia nostra ab operibus. Proprietas, scribit, ex fide est hereditas, ut sit per gratiam; sine lege, ut firma sit promissio, Rom 4; v. 14. & 16. Unde infero: *Quod promissionem salutis incertam facit, id ad salutem non est necessarium.* Bona opera incertam faciunt promissionem salutis, E. non sunt necessaria ad salutem.

LIII. Si quis petat probationem Minoris, sufficeret quidem dictum Apostolicum, sed accedit insuper ratio eudens, quod conscientia pavida ac tensu iræ divinæ per terrefactæ perpetuò dubiare coguntur, si bona opera ad salutem necessaria dicantur, cum nemo hominum certus esse possit, quando tantum bonorum operum fecerit, quantum ad salutem vel consequendam, vel promerendum opus sit: Totam enim legem perfectè implere non est nostrarum virium; hinc eit querela Davidis: *Erroris quis intelligat, 1. ad. 13.*

LIV. Pugnat quoq; illa phrasis cum perfectissimo merito Christi, à quo solo & unico salutem nostram dependet testatur Petrus, Act. 4, v. 12. Non est in alio quoquam salus. Nullum enim est nomen aliud sub celo datum in hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. Hinc blasphemia non caret, si perfectissima obedientia Christi

Si assumentum operum nostrorum addatur. Unde tale exurgie argumentum; Si meritum Christi sufficientissimum est ad nostram Justitiam & salutem, non erunt opera bona necessaria ad salutem. Sed prius est verum. E. & posterius.

LV. Nec juvat eos distinctio inter Justificationem & salutem. Nam Christus suo merito non solum acquisivit nobis Justitiam, verum etiam salutem; Nec tantum promissio de gratuita justificatione per & propter Christum fide apprehensum nobis obtingit sine operibus, sed & promissio salutis & vitæ æternæ sine operibus nobis confertur: Nam eadem sunt causa Justificationis & salutis, quod patet ex seqq; S:ra Testimonij, Act. 15, v. 11, Eph. 2, s. 2. Tim. 1, v. 9. Tit. 3, v. 5.

LVI. Concludimus proinde cum Augustana confessione art. 6. nos salvos fieri, sine opere, sola fide. Et eum libro concordie dicimus, ratum certum & fixum esse debere, quod phrasēs seu propositiones illæ, de bonis operibus ad salutem necessarijs, non sint docendæ, defendendæ, pingendæ, sed potius ex ecclesijs nostris ut falsæ & non sinceræ explodendæ atq; reiiciendæ Decl. L. C p.m. 685.

LVII. Deinde & illud accuratè norandum, neq; illam phrasin: *per bona opera fidem & salutem remiri & conservari*, fidei analogam esse. Exercetur quidem fides per bona opera, sed non per ea retinetur & conservatur. Non enim est sentiendum, quod fides initio tantum Justitiam & salutem apprehendat, postea vero officium suum operibus resignet, ut ea deinceps fidem apprehensam Justitiam & salutem conservare debeant. Ut enim nobis promissio de Justitia & salute nos

stra non modo consequenda, verum etiam retinenda,
certa & firma esse poslit: Paulus non tantum ad ium ad
gratiam, verum etiam quod in gratia perieveramus, &
de futura gloria gloriamur (hoc est initium, medium &
finem) Soli Fidei adscribit. Et alibi ait: *propter incredibili-
tatem suam defracli sunt; tu autem fide stas,* Rom. ii.
v. 20. & ad Collos. i, 22, 23. *Exhibebit vos San-
ctos & immaculatos & irreprehensibiles coram seipso
si tamen permanevis in fide fundati & stabiles &c.* Et
Petrus i. pet. i. 5. ait: *In virtute Dei custodirem
perfidem in salutem.* Et, v. 9. *Reportantes finem
fidei vestrae salutem animarum.* Declar. Lib. Con-
cord. p. 686.

LVII. Præterea quod ad propositionem illam atti-
net: *Bona opera ad salutem esse pernitiiosa*, haec nostra
cum Libro concordia mens est. Si quis bona opera ar-
ticulo Justificationis immiscere, *Justitiam suam*, aut du-
ciam salutis suæ in ea reponere, gratiam Dei ijs promere-
ri, & per ea salutem consequi velit: Respondemus non
quidem nos, sed D. paulus ipse Phil. 3, idq; tertio repeatit
quod tali homini opera sua non tantum sint intilia-
tio; ad salutem impedimento: *verum etiam perniciosa
sint.* Culpa tamen non est honorum operum per se. Sed
vane fiduciae, quæ contra expressum Dei verbum in ope-
ra collocatur.

LIX. Inde tamen haudquam consequitur, quod
simpliciter & nude assertere licet: *Bona opera credentibus
ad salutem esse pernitiiosa.* Bona enim opera in credenti-
bus indicia sunt æternæ salutis, siquidem haec est volun-
tas, & hoc expressum Dei mandatum, ut credentes bona

opera

opera faciant: quæ Spiritus Sanctus in eredentibus ope-
ratur: Eaq; Deus pater propter Christum accepta & gra-
ta habet, & præclara illis præmia, hujus & futuræ vitæ
promittit: *Infirma & futilis est collectio: Bonæ
opera ex accidente & secundum quid sunt pernitsiosa. E.
per se natura suâ & absolute sunt ad salutem pernitsiosa.*

LX. Reijcienda itaq; est hæc propositio: quia
ita nudè usurpata & falsa est, & offendiculi plena,
quâ disciplina & morum honestas labefactantur,
imò Epicureismo & dissolutæ vitæ via sternitur
& Janua aperiatur patentissima. Ab ea enim res,
quæ alicui ad animæ suæ salutem pernitsiosa cre-
dunt, abstinendū & cayendū esse omnes Judicant.

*Faxit Trinum Deus, ut abnegata impietate & mundanis
eupitudinibus, temperanter, justè & piè vivamus in presenti se-
culo, ut decursu hoc vita hujus spatio tendere immarcessibilēno
glorie Coronam in caro reportemus.*

LILLI ritè facis quando conamine magno,
Excolis ingenio degenerata Sacra DEI.

Hocce premias studio dolli vestigia Patria,

Atq; tuæ prosis percelebri Catria

*Orationis Ora, Respondenti amico ac discipulo suo dis-
lecto, L. m. q; apponens.*

NICOLAUS LINTOPENSIUS
Log. & Poet. Prof.

Curris ritè, sapi, Musæ gratissime JANNE S.
Curras: currentem dirigat ipse Deus.

In constantis amicitia signum hoc apposuit
ANDREAS TH. KYROENSIS
Finno.